

tur . Igitur quatuor peditum millium præter sex delectum habendum esse decernitur ; idque Legato mandatur , ut idem Guido Rangonio suadeat , Pontificias copias totidem peditum numero augeat , ac cum Ennio Verulano summæ apud Pontificem auctoritatis viro omnia communicet ; id enim Pontifex a Republica postulaverat : cataphractus insuper equites ad fluminis Abduæ ripas obequitare jubeat . Pontifex , qui Rangonium copiarum Ecclesiæ Præfectum cum cataphractorum turmis aliquot , sexque peditum millibus Placentiam miserat , Vitellum Vitellium cum novis militibus , Florentinorumque cataphractis mittit , ac Joannem Mediceum , quem Italici copiis præfecerat , vicesque in exercitu illius gerentem Franciscum Guicciardinum . Senatus altera ex parte auctis copiis , quibus summa cum auctoritate Imperator , uti diximus , Urbinas præerat , Legatique munere Petrus Pefareus fungebatur , exercitum ad Clarium , agri Brixienfis oppidum , ad flumen Ollium cogi jubet ; fuere in eo peditum decem millia , præter milites , quos e præsidiis Imperator eduxerat : ac propediem Mussianus Præfectus duo millia Helvetiorum peditum in armis fore , quorum quingentos lacus Comensis custodiæ demandare decreverat , mille quingentos ad exercitum accessuros significabat . Ad hæc Laudensis Episcopus cum eodem Præfecto e Rhætis multos sparsim sub signa venturos . Iis Pontificias , Venetasque copias conjungi Senatui placebat ; qua de re ut cum Rangonio summo Ecclesiæ Præfecto ageret , Legato perscripserat ; atque ut idem Pontifex Rangonio mandaret , per Reipublicæ Oratorem petierat , ut justo exercitu ad liberandum obsidione Franciscum Sfortiam proficisci possent , futuri-que belli prospera jacere fundamenta . Hæc erat rerum Italicarum conditio ; cum Cæsar ob moram in pace a Rege firmanda , quidnam ille moliretur , quo sua spectarent consilia , jam tum mente præviderat . Verum posteaquam apertius omnia a Carolo Lanojo , quem in Gallias ad jusjurandum Regis accipiendum miserat , intellexit , quamplurimas Regem excusationes neçtere , regni ordines nullo pacto Burgundiam dimittipassuros ; ingentem auri vim illius vice offerri ; foedus cum Pontifice , Venetisque percussum : licet illi nondum manum Rex apposuisset , animo vehementer perturbatus cuncta novorum